

1000





Keim 248 (1-10)









ERRATA  
ERRATA  
ERRATA

ERRATA  
ERRATA

ERRATA  
ERRATA

ERRATA  
ERRATA

ERRATA  
ERRATA

ERRATA  
ERRATA





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VSV VENAESESECTIONIS  
IN FEBRIBVS ACVTIS.

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
IVSSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. XII. APRILIS MDCCLXVI.

ERVDITORVM CENSURAE SVBMISIT  
AVCTOR  
SIMON HENRICVS MVHLENBRVCK  
ALTONENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM.









DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VSV VENAESESECTIONIS IN FE-  
BRIBVS ACVTIS.



§. I.  
*Introitus.*

Integrum circiter saeculum elapsum est, ex quo naturalis iterum febrium acutarum medendi methodus caput efferre coepit. Ex eo tempore cura in iisdem antiphlogistica maxime increbuit, quae, dudum Venteribus nota, postea per saecula neglecta, demum a SYDENHAMO restituta, a MORTONO in variolis limitata, a BOERHAAVIO VERO, HOFFMANNO, *van SWIETEN*, *de HAEN*, TRILLERO, HVXHAMO, TRALLES, TISSOTO aliisque, quos silentio praetermitto, aucta, emendata, illustrata & ad suas rationes reuocata est. Febrium hinc acutarum medela mirum quantum mutata ab illa, quae ante famosa SYDENHAMI tempora obtinebat! Scholae Medicorum non crepant nunc opiata, sudorifera, superbo cardiacorum viruque corde pellentium remediorum titulo Chemicorum tempore celebrata; non horrent, Chemicorum quondam & Pathologiae acidae fautorum latratu inuisam redditam, venaesectionem, hanc potius cum nitro, cremore tartari, melle, decocto hordei aut auenae, lacte tenui, sero lactis, emulsionibus, aqua pura, aceto, spiritu sulphuris per campanam, syrupis acidis, plantis acescentibus, acidis mineralibus, aqua aut syrupis blandioribus factis, tamarindis, camphora, balneis, aëre temperato, abstinentia a carne animalium, acescentibus praepimis non condita, aliisque, quae methodus antiphlogistica requirit, in debellandis febribus acutis vtramque paginam facere afferunt,



runt, paucis exceptis casibus, in quibus, ut opiata, vesicatoria & eiusdem farinae plura suaderent, alios necessitas, alios error coëgit. Sed de his valet omnino, quod pulcre dixit *Celeb. TISSOT*: *tampulchre perfecta est omni alio puncto illorum methodus, ut ex uno remedio minus consono vix periculum esse possit* \*). Methodus ergo febrium acutarum cum adeo perfecta a tantis, quos laudavi, Viris reddita sit: laterem is lauare quam plurimis videbitur, qui de usu Venaesectionis in febribus acutis differere animum induxit. Quoniam interea nonnullae hac de re disceptationes nostris temporibus ortae sunt, atque mihi, iuveni vix Medicorum scholis egresso, acquisitae potius scientiae specimen edere, quam inuentionis gloriam ostendere incumbit: facile spero, fore, ut ab aequis Lectoribus veniam impetrem, si, non vile quidem, sed pertritum excusiam argumentum. Hoc vero ita perficiam, ut, finibus Venaesectionis generatim consideratis, de usu huius remedii in febribus acutis disseram, omnem simul mouens lapidem, ut id, quod nouitati argumenti decedit, breuitate compensem.

\*) In Epistola ad *Illustr. HALLEVRM de Variolis, Apoplexia & Hydrope*, Lausan. 1761. pag. 32.

## FINES VENAESESECTIONIS.

### §. II.

#### *Effectus primarii.*

Ut accurata remediorum horumque in corpus humanum effectuum habeatur idea: effectus eorum primarios a secundariis cauti sciungere debemus. Primarii enim remediorum effectus ponuntur, quam primum remedium agit, secundarii ex primariis demum profluunt. Quoniam ergo hi sibi possunt e diametro oppositi esse: facile patet, non dari neque distinctam fatis, neque simplicem remediorum actionis cognitionem, nisi ista, quam dixi, separatio fiat. Neglectus huius separationis peperit praeterea lubricam illam propositionem, quam etiam *Celeb. TRALEES* \*) probasse video: *Nullum remedium absolutis gaudet virtutibus, quae quidem non nisi*



nisi tunc, quando de secundariis effectibus sermo est, ad remedia, vere agentia in corpus, cum veritatis specie adplicari potest. Nos, ut omnia haec euitemus, quoad venaesectionem descriptum tramitem ingrediamur! Duo tantum sunt primarii venaesectionis effectus. Copia nempe massae sanguineae per eandem imminuitur & sanguinis motus ad eum locum acceleratur, in quo vena pertusa est. Prior effectus manifestus est & dubitationi non subiectus, cum sanguis manifesto effluat, atque causa neque externa sit, neque interna, quae emissam sanguinis copiam actutum restituat. Posterior aequè clarus esset, nisi disceptatio, ea de re orta, veritatem, ut fieri solet, obscurasset. Nihilominus, misso praeiudicio, ablata effrena subtilius magis, quam veritati consonanter ratiocinandi libidine, veritas asserti constabit. Si vena inciditur: sanguis, ob ablatam resistantiam\*\*), celerius nunc e corpore exit, quam per ramum venosum vectus fuisset, si vena sine vulnere mansisset. Sauciata autem vena cum ramo demum arterioso connexa est. Quare fieri aliter non potest, quin, tam ob vulnus, quam ob celeritatem motus sanguinis in vena pertusa, sanguis iste arteriosus ad venam transeat celerius, quam, vena illibata permanente, transiisset. Quod si vero hoc: ad arteriam etiam, cum vena vulnerata connexam, sanguis celerius ferri debet. Ut ergo verissime dicatur, sanguinis motum ad locum sauciatum accelerari.

\*) Exercit. physico-med. de virtute Camphorae refrigerante. Vratisl. 1734. §. VII. seqq. pag. 56.

\*\*) Vid. elegantem Celeb. Carol. Christ. KRAVSE Dissertat. de derivatione ac reuulsione humorum per sanguinis detractionem impetrandis. Lipsiae 1763. §. XI.

§. III.

Effectus Venaesectionis secundarii.

Cogniti primarii Venaesectionis effectus ad secundarios nos ducunt, qui, cum multiplices sint, generatim tantum & strictim a nobis pensabuntur. Venaesectio scilicet 1. plethoram imminuit. Diximus enim copiam sanguinis venaesectionis ope imminui. 2. re-



*uulso & deriuatio impetratur.* Venaesectione namque efficit, ut ad locum sauciatum sanguis celerius moueatur (S. ant.). Quodsi vero ad locum quendam sanguis celeritate maiori feratur, quam ad alias partes: copia ibi sanguinis eo tempore increfcit. Quod, si partes inter se sint connexae, ostendit, imminui, celebrata venaesectione, sanguinis quantitatem in aliis partibus, a vulnerata paullo diffisis. Vnde deriuatio & pro re nata reuulsio enascuntur\*), quam etiam ob rem venaesectione sanguineis congestionibus, si efferae fuerint, opponitur. 3. *Motum sanguinis auget minuitue.* Augebit circulum sanguinis & cum eo calorem naturalem, quando cor, cuius non sunt infinitae vires, plethora aut spissitudine antea oppressum, nunc minorem ab instituta venaesectione experitur resistentiam\*\*); minuet vero & sanguinis motum & calorem, quando aut rarefactus sanguis detrahitur, aut tanta in copia, ut cor stimulo suo parum sollicitare possit, educitur, quod eo facilius fiet, quo minor est subiecto irritabilitas. 4. *Roborat aut debilitat.* Debilitas corporis vel absoluta est, vel relatiua. Illa ex virium decremento, haec ex resistentiarum augmento subnascitur. Vtramque tollere valet venaesectione. *Relatiuam* quidem, quatenus plethoram minuit, spissarum particularum resolutionem, aucto motu auctoque calore, adiuuat, congestiones & orgasmum tollit atque motum sanguinis liberiores reddit; *absolutam* vero, quatenus vel, aequabili restituto sanguinis motu, aut secretionem fluidi neruei promouet, aut acre eliminat, vel, tollendo debilitatem relatiuam, absolutam quoque tollit\*\*\*). Sicuti vero debilitatem minuit venaesectione: ita eam etiam adaugere valet. Fit id generatim, quando ea succus vitalis nimium exhauritur. Tunc enim cordis arteriarumque motus languescit, fluidi neruei copia decrefcit, lymphae nutritia deficit. 5. *Stases soluere, sed & producere valet.* Hoc, quando debilitat, illud, quando roborat & deriuat atque reuellit\*\*\*\*). 6. *Secretiones fluidorum & excretiones serosas auget minuitue.* Motum enim sanguinis aut accelerat, aut retardat. Saepe quoque spasmus aut, si maius, constrictionem in vasis, se- & excretionem inferuentibus, obortam vel re-

mouet,



mouet, vel producit. Demum congestio & debilitas, a VSectione enatae, aut ablatae, secretioni & excretioni fauere, vel eas impedire possunt. Plures secundariorum VSectionis effectuum adducere possem. Sed sufficiant recensiti, quos quilibet augere potest, quando ea perpendit, quae ab vno alteroue in corpore humano denuo procreari possunt.

\*) Hi venaesectionis effectus Veteribus iam noti fuerunt, quod vel illa loca ostendunt, quae ex HIPPOCRATE, GALENO & CELSO adducit *Celeb. KRAVSE l.c.* Postea, vt fieri solet in rebus humanis, lites inde sunt ortae, ab iis maxime motae, qui Mathesin & Physicam inconcinna ratione ad corpus humanum applicare annisi sunt. *Illustr. NAMBERGERVS & Clar. OEDER* hos venaesectionis effectus prae ceteris negarunt, experimentis, testimoniis, demonstratione, quid? quod calculo abutentes. Dubiis eorum obuiam iuit *Celeb. KRAVSE* in *Dissert.* cuius titulum apposui, digna, quae ea de re legatur. Facile caeterum patet, deriuationem & reuulsionem, venaesectionis ope, proprie non impetrari, quando pulmo sanguine turgidus est. *Conf. Celeb. TRALLES l.c. §. XXX.* Tunc ergo nata congestio, aut stasis sanguinea aliis remediis debellanda, venaesectione vero noua praecauenda erit.

\*\*) *Conf. Illustr. BÜCHNERI Fund. Therap. gener. Sect. III. Cap. IX. §. VI.*

\*\*\*) Casus isti per experientiam satis facile innotescunt. In plethoricis somnolentia obtinet & somnus turbulentus. Vtrumque docet, fluidi neruei secretionem minus apte contingere, hincque vires, quae in corpore a copia fluidi neruei pendent, languescere oportere, siue nunc gradus, siue diurnitatem actionum, ab istis oriundarum, respicias. Remoueatur iam venaesectionis ope plethora: atque restituatur liberior fluidi neruei secretio, & debilitas absoluta, antea praefens, finem adipiscetur. Hoc de primo casu. Quod secundum attinet: concipe, vt exemplo vtar, plethoricum subiectum, quod simul sit cacochymicum. Cacochymia absolutam debilitatem infert, quae vero multum minuetur, quando cacochymia, excretionibus serosis auctis, decrescit. In eiusmodi ergo, quale proposuimus, subiecto absoluta debilitas imminuetur, si instituat venaesectio, cum euictum datum sit, venaesectionem in corpore plethorico excretionem serosas augere. Superest tertius casus. Plethora, congestio, spissitudo saepe saepius paralyfin, inmo apoplexiam,



xiam, tanquam absolutae debilitatis effectus, excludunt. Quam saepe vero venaesectio in istis casibus salutaris fuit?

\*\*\*\*) Hinc etiam *repulsio*, a BOERHAAVIO notata, Venaesectionis ope impetrari potest. Quum enim arteria, stasi quadam obfessa, a venaesectioe peracta robur concipere queat; arteria etiam, hoc impetrato, ita stagnantes moleculas resolvere potest, ut versus truncos potius, quam ramos arteriosos vehantur. Tunc autem obtinet *repulsio*. Caeterum quod de staseos resolutione diximus multum illustratur exemplo, quod affert de vespertione *Perillusis*. v. SWIETEN (*Comment. in Aphorism. BOERHAAVII Tom. I. §. 131. p. 196.*), quodque ex LEEUWENHOECKII Operibus desumfit.

#### §. IV.

##### *Respectus Venaesectionis ad nonnulla alia remedia.*

In plurimis corporis humani morbis curandis pluribus remediis opus est, cum vnicum plerumque vel non omnibus indicationibus satisficiat, vel ad morbum integre extirpandum longiore saltim tempore indigeat, quam quod plura remedia inter se coniuncta, ut idem scopus obtineatur, requirunt. Ut ergo Medicus optima morbis medendi methodo utatur atque caueat, ne contraria sibi remedia commisceantur: necesse est, ut post intellectam cuiuslibet remedii actionem, cuiuslibet etiam ad alia, quae usurpari debent, respectum perspicere admittatur. Atque id quoque de venaesectioe valet, quando ea ad curandos morbos utimur. Tunc ergo cognoscere debemus: annon venaesectio aliorum remediorum effectum minuat, destruat, augeat? aut horum vicissim actio venaesectionis effectui contrarietur, faueat? Quae cum ita sint, paucorum ego momentorum exemplo, quid hac de re sentiendum sit? ostendam. Atque primo quidem *remedia commouentia venaesectionis effectum minuunt, uti contra ea venaesectio organicae sanguinis commotionem, a calidis remediis productam, imminuit.* Remedia enim commouentia circulum sanguinis adaugent, venaesectio vero commotionem sanguinis minuit (§. ant.). Pater hinc opiata, spirituosa & vesicatoria minus bene quadrare, quando venaesectio indicatur, aut peracta est, nisi forsitan opiata aliunde indicentur



indicentur \*) aut venaeſectio contra regulas artis, ad depletionem vaſorum uſque, inſtituta fuerit, quo in caſu & ſtimulo & rarefacientibus opus eſt. Intelligitur etiam inde, venaeſectionem remediorum antiphlogiſticorum actionem, cum ipſa antiphlogiſticum remedium ſit, accelerare & perficere, atque v. v. Dein *venaeſectio reſoluentium nonnumquam remediorum actionem intendit & v. v.* Vidimus enim ſ. anteced. eam eſſe venaeſectionis rationem, ut ſpiſſarum molecularum reſolutionem adiuuet. Venaeſectio porro *tranſitum particularum, corpori exterius adplicatarum, ad interiora, atque earum, quae primis inhaerent viis, ad maſſam ſanguinis faciliat.* Minuit enim reſiſtentiam in vaſis venoſis, quo ſit, ut abſorptio eo facilius reddatur. Hinc *balneorum* effectum accelerat. Praeterea *venaeſectio diluentium remediorum actionem promouet.* Non ſolum enim ingreſſum, uti modo euictum eſt, fluidarum particularum atque reſolutionem ſpiſſarum particularum adiuuat, ſed hoc perficiendo aquearum etiam particularum cum ſanguine commixtioni fauet \*\*). Neque minus *inſalubres quosdam emeticorum effectus praecauet*, eos nempe, qui a plethora, aut congeſtione, aut orgaſmo oriuntur (ſ. anteced.) \*\*\*). *Nutrientia tandem venaeſectionis effectibus repugnare*, per ſe patet, cum ſanguinem augeant.

\*) In variolis id nonnumquam contingere, docuit *Celeb. TISSOT* in *Epift. de Variol. Apopl. & Hydrop.*

\*\*\*) *Sanguinis emiſſio*, inquit *HUXHAMVS* (*Oper. phyſic. med.* Tom. II. pag. 20.), *non eius ſolum quantitatem & velocitatem imminuit, ſed quoque liquorum diluentium ingreſſui viam aperit.*

\*\*\*) *Damnauit SYDENHAMVS* in febris intermittentibus venaeſectionem, eam nihilo minus neceſſariam eſſe iudicat ante dandum emeticum, quando corpus plethoricum eſt atque iuuenile.

#### §. V.

#### *Fines Venaeſectionis.*

Si effectus Venaeſectionis, quos haecenus conſideraui, perpendantur: fines huius remedii abſque difficultate eruuntur. Tres nempe generatim dantur caſus, in quibus vtilem venaeſectionem eſſe

B

eſſe



esse censendum est, tunc scilicet, quando vel vrgens plethora, vel vrgens orgasmus, vel vrgens congestio sanguinea obrinet (§. III.). *Vrgens* dico, cum, nisi id fuerit siue plethora, siue orgasmus, siue congestio sanguinea, alia euacuantia apta, temperantia atque discutientia ad nociuas istas conditiones tollendas satis sint potentia. Caeterum verissimum omnino est, venaesectionem pluribus finibus, quam recensitis, adaptari posse. Quum vero ne vllum casum non absolum animo concipere possim, in quo venaesectione vere salutaris sit, nisi adducti fines, tamquam primarii, respiciantur: sequitur, hos potissimum considerandos, reliquos vero posthabendos esse, cum ex prioribus fluant, aut ita comparati sint, vt siculneo inmittantur fundamento, quorsum eum refero, quo putant, venaesectionem inquinamentum totius humorum oceani extirpare, aut multum imminuere.

### VSVS VENAESESECTIONIS IN FEBRIBVS ACVTIS.

#### §. VI.

##### *Natura februm acutarum. Idea. Species.*

Cognitio mali medelam, cognitio morbi indicationes, hae indicata ostendunt. Erit ergo februm acutarum natura inquirenda, vt venae in iisdem sectionis utilitas, vsus & abusus consent. Nunc febris acutae idea morbi acuti notioni inmittitur, haec autem satis est lubrica. Plurimi statuunt, morbum acutum esse morbum, qui celeriter cum insigni vitae periculo ad finem pertingit \*), quae definitio vel in omnes morbos, qui acuti dicuntur, non quadrat, vel, vt inutilem distinctionem assumamus \*\*), requirere videtur. *Illustris* EBERHARDVS longe accuratius ideam morbi acuti formauit. Ipsi enim *morbis acutus* est morbus, qui natura sua cito decurrit & motus vitales vehementi gradu alterat \*\*\*). Si haec definitio rite intelligatur †): non solum omnes notae morborum acutorum species sub ea comprehenduntur, sed ita etiam comparata est, vt nulli morbo aut breui, aut chronico competat. *Febris* itaque *acuta* est febris, quae natura sua cito decurrit & motus vitales vehementi gradu



gradu alterat. Species nunc febrium acutarum hinc facile eruuntur. Pertinent nempe huc: febres continentes, febres catarrhales tam benignae, quam malignae & petechizantes, inflammatoriae, dysentericae, biliosae omnes, exanthematicae, nervosae ††), atque istae intermittentes, quae acutarum nonnumquam indolem prae se ferunt atque alias malignae vocantur †††). Gradus caeterum hac in re dari, nemo negabit.

\*) BOERHAAVE *Aphorism. de cognosc. & curand. morb.* §. 564. *Perill. van SWIETEN* l. c. Tom. II. p. 8. Ista definitio ex Veterum scriptis hausta est, cum GALENVS, CELSVS, COELIVS AVRELIANVS morbum acutum ita definiant.

\*\*\*) Vt exemplo id constet, febrem catarrhalem afferam & quidem benignam. Nemo non nescit, eam, nisi male tractetur, adeo leuem esse, vt omni periculo destituta sit. Quodsi nunc allatam morbi acuri definitionem veram habeas: febris ista catarrhalis ex acutorum morborum catalogo remouenda erit, cui tamen asserta Medicorum plurimorum repugnare videntur. Praeterea definitio, quam dixi, saepe nos cogit, vt inutilem inter vnum eundemque morbum distinctionem assumamus, quod de febribus continentibus, variolis, morbillis maxime valet. *Illustris de HAEN* inconuenientiam vulgaris definitionis perspexit, prouti id ex *EIVS diuisione febrium* constat. In germanica enim, qua vtor, huius tractatus editione pag. 10. sequentia verba exstant: *Nach gemeiner Aussage sind zwar alle bizige Fieber mit Gefabr verbunden, selbige ist aber um desto grösser, ie biziger selbige sind, am grösten aber bey den acutissimis. Ich sage nach gemeiner Aussage, nicht aber im genauesten Verstande, denn es giebt Febres pleuriticæ und anginosas, welche weder mit großer Gefabr anfangen, noch über vier oder sieben Tage dauern. Ia sogar dieienigen zusammensießende Pocken sind (wenn sich das übrige ebenermassen verhält) gefährlicher, wenn sie die Zeit der febrium acutarum fort dauern, als die variolæ discretæ, welche sich in der Zeit der peracutorum endigen.*

\*\*\*\*) Conf. *Conspect. Medic. theoret. Pars II. Pathol. gener.* §. 9. pag. 32.

†) Haec volo: vehemens iste gradus, quem postulat Vir Illustris, non semper absolute tantum, sed relatiue determinandus est, siue, vt aliis verbis vtar, non sola functio vitalis laesa, sed huius ad reli-





quos motus vitales totamque vitam animalem respectus attendendus est, quando vehemens, quo alterata est functio vitalis, gradus dimetiendus est. Nisi hoc fiat: falsa saepe videbitur definitio. Quam saepe v. g. lipothymia, palpitatio cordis morbi sunt sua natura breues? Nihilominus quilibet concedet, in vtroque morbo morum quendam vitalem *absolute* vehementer laedi.

†) Vid. elegantem harum febrium descriptionem, quam dedit HUXHAMVS l. c. Tom. II. Cap. VII.

††) Apoplecticae huc pertinent, syncopticae, soporosae & aliae plures. Huc ergo reuocari etiam debent istae febres, quas *Illustr. de HARN* l. c. p. III. seqq. considerauit. Ipsemet id confirmat p. 114. Vrina quoque idem testatur. Conf. *Illustris BÜCHNERI* Dissertat. de rite diiudicanda haemorrhag. in febrib. interm. salubritate §. II.

### §. VII.

#### *Causae febrium acutarum.*

Quum febris acuta motus vitales vehementi in gradu alterare debeat: necesse est, vt vel febris, vel eius causa hanc motuum abnormem rationem producat atque ideo functiones cerebri, cerebelli, pulmonum, cordis & arteriarum vehementer turbet\*). Vtriusque casus specimina dantur, licet accuratum vix habeatur, cum natura casus, quos intellectus, vt facilius cognoscantur, seingit, combinare solet. Nos interim casus istos separatos considerabimus, vt ortus, causae, diuersae conditiones & varii gradus febrium acutarum constent, additis exemplis, quae dicta confirmare possunt. Si ergo acutum a febre pendeat: haec erit vel adeo leuis, vt materiae febrilis coctioni & expulsionem producentis impar sit, vti in variolis debiliorum subiectorum nonnumquam obseruatur; *vel* adeo vehemens, vt aut suppressio, aut summa exagitatio motuum vitalium, cito finienda, metuenda sit, vti in gangraena febrium inflammatarum atque continentibus, in phrenitidem transeuntibus; *vel* adeo abnormis, vt materiam febrilem, cito agentem siue ob copiam, siue ob qualitatem, visceribus vitalibus inferat, vti in intermittentibus soporosis, apoplecticis & syncopticis atque variolis nonnumquam; *vel* demum neque nimium leuis, neque



que nimium vehemens, neque abnormis, moderata potius, at ita comparata, vt, non obſtante benigna ſua indole, motus vitales grauiori in gradu turbet, cito ſimul finienda, quod de catarrhalibus benignis, variolis plerumque diſcretis aliisque valet. Quodſi autem a cauſſa febris acutum proficiſcatur: eius tunc vel copia, vel motus, vel qualitas accuſari debet. Copia materiae acutum illud efficere vel ad illud producendum conſpirare poteſt, quatenus vel viſceribus vitalibus iam inhaeret, vel in oceano humorum adhuc oberrat, vel ad viſcera quidem, quae tamen vitalibus non adnumerantur, delata eſt. In primo caſu inſignis iſtius materiae copia facit, vt cito moruum vitalium ſuppreſſio (ſiue haec ſtatim appareat, ſiue exagitatio enormis praecedat) metuenda ſit, reſtantibus id peripneumonia, phrenitide, paraphrenitide. In caſu ſecundo vel ſupprimat ob copiam ſalubres motus febriles, vti plethora haud raro agit\*\*), vel, cum corpore eiici propter quantitatem nequeat, cito deleterium in viſceribus effectum exſerit, quod de bile, miſtimate februm acutaſum &c. dicendum erit, vel cor ſaltim adeo irritat, vt circulus vehementi citoque finiendo gradu intendatur, quod de nimia ſanguinis copia in continentibus affirmandum. In tertio demum caſu modo nimium rodendo agit, vt bilis in inteſtina effuſa, modo, cum ſatis cito euacuari nequeat, ad ſanguinem deſertur, eosdem ad vehementiores motus ſollicitans, quod itidem de bile valet nimium quantum primis illata viis, modo, inflammando viſcera, cor ſimul valide irritat, vt in cholera contingit atque inflammationibus viſcerum non vitalium, modo, cito corrumpendo haecce viſcera, cito etiam reliquos vitales motus ſupprimat, vt in gangraena hepatis, ventriculi, vteri &c. quatenus copia inflammantis materiae gangraenam producit. Haec de nimia materiae febrilis copia. Sequitur eius motus, quatenus ipſi acuta februm quarundam natura danda eſt. Is vero cauſſa eſt februm acutarum quando vel nimium eſt intenſus, vel ſuppreſſus, vel abnormis. Hoc fit in febribus intermittentibus acutis, illud contingit in febris inflammatoriis, iſtud demum in continentibus accidit. Super-



est qualitas materiae febrilis, quae prae ceteris hic attendi debet. Quodsi autem omnes febres acutas, in quibus qualitas materiae accusanda est (nam continentes morbosam, respectu qualitatis fluidorum, constitutionem non necessario requirunt), consideraueris: non nisi triplicem generatim inuenies qualitatem, quae ad ingenerandas febres acutas apta est. *Diatbesis* nempe *sanguinis phlogistica*, *acrimonia quaedam specifica*, *affectio* demum *sensorii communis singularis* huc pertinent. Diathesis sanguinis phlogistica sub febribus inflammatoriis manifesto obtinet. Acrimonia specifica deprehenditur in biliosis, dysentericis, neruosis, exanthematicis. Haec autem satis diuersae est indolis, atque modi, quibus agit, valdopere a se inuicem recedunt. Nonnumquam putrida est, summa resolutione nocens, ut in febribus vere putridis; nonnumquam acredine sua valde inflammat, ut bilis, acre variolosum, morbillosum, scarlatinum; nonnumquam fluidum nerueum singulari modo corrumpere videtur, ut in peste, neruosis febribus & forsitan purpura alba; nonnumquam cor tantum irritat, ut febris acuta leuioris indolis inde exsurgat, ut acre catarrhale. Quod tandem dispositionem singularem, quam dixi in sensorio communi locum habere, attinet: eam in febribus intermittentes acutis attendendam esse censeo. Nisi enim febres intermittentes in vitio neruorum & sensorio communi quaerendae essent \*\*\*): vix fieri posset, ut tam facile, ut saepe contingit, in apoplexiam & sopores transirent. Quid vero ratione acuti februm genii eiusmodi sensorii communis dispositio efficere possit, nemo non perspicere potest \*\*\*\*).

\*) Adderem spontaneos naturae conatus, nisi eiusmodi motus commode vel ad febrem, vel ad causarum effectus referri possint.

\*\*\*) Vid. *Illustris* BÜCHNERI *Fund. Therap. gener.* l. c. §. VI. HVXHAMVS l. c. p. 19. plethorae in febribus acutis pulsus oppressum tribuit.

\*\*\* Conf. *Perillustr.* van SWIETEN Cap. de febr. interm. *Illustris* BÜCHNERI Dissertatio superius notata.

\*\*\*\*) Patet ex dictis: primo pro natura & grauitate horum omnium, quae in §. dixi, ut & combinatione eorum multiplici febrium acutarum ortum,



ortum, naturam, gradus & periculum differre; *secundo* corporis conditiones multum posse ad efficiendas febres acutas conferre; *tertio* alias febrium acutarum causas absolute, alias sub certis tantum conditionibus acutam febrium naturam producere. Acre pestilentielle & plethora hic exemplo esse possunt.

## §. VII.

*Comparatio Venaesectionis cum causis, a quibus febres acutae oriuntur.*

I. *Cum acrimonia fluidorum.*

Supereffent in consideranda febrium acutarum natura tam symptomata, quibus stipantur, quam causae remotae, a quibus proficiuntur. Vtrumque momentum omitti non potest, cum venaesectio saepe aut a symptomate, aut a causa remota in febribus acutis indicetur, quamvis genio febris generatim minus respondere videntur. Ita in febribus intermittibus acutis, ita in purpura puerperarum haud raro locum obtinet venaesectio, licet nominatae febres, in se spectatae, venaesectionem renuant. Quum autem breuitati mihi studendum sit: ea hic omittam, aliunde iam nota, atque in sequentibus quae usui esse possunt adducam. Nil ergo superest, quam ut venaesectio cum natura febrium acutarum comparetur. Atque cum causae febrium acutarum utramque hic faciant paginam: ab iis quidem ordiar, postmodum de febre ipsa eiusque ad venaesectionem respectu dicturus. Plurimae febres acutae ex singulari quadam acrimonia siue intus exclusa, siue ab externa causa suscepta, originem suam sumunt. Ista ergo febres praecipuam attentionem merentur dignaeque sunt, quae prae reliquis considerentur, cum quaestio de utilitate venaesectionis in iisdem ab omni fere aevo maximopere agitata sit. Casuum distinctio omnes hic componit lites. Quodsi *primo* acrimoniam, quam dixi, in se consideratam spectemus: venaesectio in eiusmodi febribus non solum non conducit, verum etiam nocet. Quando enim acrimonia, corpori inhaerens, febrem acutam accendit: erit *vel* per humorum oceanum diffusa, ut in febribus exanthematicis, catarrhalibus, biliosis nonnullis, nonnumquam etiam dysentericis;

*vel*



vel in loco quodam fixa haeret, vt in cholericis, dysentericis &c. Si prius: poterit equidem venaesectio partem materiae acris euacuare atque hinc causam febris imminuere. Cum autem venaesectio minimam tunc materiei partem eliminat, maxima vero, quae sese praepagandi potentia gaudet, in corpore relinquatur atque, nisi cum sanguine vitam euacuare velis, relinqui etiam debeat: sine difficultate patet, inutilem fore venaesectionem, si acris quaedam materia, humores inundans, febris acutae causa existat. Si posterius obtineat: venaesectio, cum neque ad correctionem, neque ad eliminationem materiae quidquam conferat, eo magis inutilis est. Venaesectio autem in his casibus non tantum inutilis, sed vere etiam est nociua. Summam enim debilitatem, quae plerumque in his febribus adest atque recte adeo ominosa iudicatur, maxime auget atque cum viribus vitam haud raro profsternit. Praeterea turbato circulo, turbatis se- & excretionibus aut diurnitatem morbi aut benignioris febris in maligniorem transitum efficere valet, pro uti id de venaesectioe, in febre catarrhali benigna administrata, affirmare solent. Quae vero licet ita sint: dicendum nihilominus, venaesectionem in his febribus acutis saepe conducere. Quodsi nempe subiectum iuuenile, plethoricum, sensibile, irritabile fuerit, vino abusum sit & calida diaeta; quodsi plethora aut opprimat cor, aut sanguinem in enormes abripiat motus; quodsi naturalis quaedam haemorrhagia suppressa eiusmodi acrimoniam producat, vt in puerperis fieri solet; quodsi metus sit grauioris inflammationis, aut haec a rodente acri iam excitata sit; quodsi pulmones ad suffocationem vsque sanguine repleantur atque cerebrum, motu & copia sanguinis enormi distentum, atrocia minetur mala: tunc sine dubio venaesectio in auxilium vocanda erit, vnicum fere in his miseris remedium. Non destruet eo in casu vires, sed eriget potius, non turbabit circulum sanguinis atque secretiones & excretiones fluidorum, sed has cum illo ad suam reuocabit integritatem; multum demum iuuabit, cum aut ancipitem, aut lethalem morbi euentum quam optime praecauere valeat. Quae diximus, adeo rationi sunt

sunt



sunt conformia, ut summi practici non aliter iudicauerint. Pauca haec de re dicam, ut consensus pateat. *Illustris b. m. HOFFMANNVS \*)* venaeſectionem praesente iam febre catarrhali damnat, cum eam diurnitatem morbi adducere existimet. Neque iniuste id adfirmatur, si solius febris catarrhalis ratio habeatur. Quando autem catarrhus vehemens est, quando subiectum plethoricum inuadit: iure tunc a *Celeb. TISSOT \*\*)* suadet venaeſectio, in brachio instituenda. In purpura alba summa cum prudentia administrari Vſectio debet, docente *Illustr. b. m. HOFFMANNO \*\*\*)*. In purpura alba, inquit, & maligna, quam summa viriam prostratio, cum largis sudoribus & debilitate ac frequentia pulsus, arguit, admittenda est plane non. Contra ea insigniter prodest, quin necessaria est in puerperis, quando lochii retentis symptomata purpuram comitantia eius incursum nunciant, cito tamen administranda. Addit Vir Illustris: Sic enim saepius obseruavi summas praecordiorum anxietates, animi defectiones, laboriosam & anxiam respirationem feliciter fuisse sublata, & mox summo cum leuamine in vniuerso corpore purpuram proripuisse. Fere similia habent egregius *Carol. ALLIONIUS* atque *Cel. MOLINARIUS †)*, quorum prior in proprio libello quam accuratissime de miliaribus differuit. In febris neruosis, quas a solidorum statu nimis relaxato, a sanguine macro tenui & a lentore & deprauatione humorum lymphaticorum & neruorum ortum trahere putat, insignes euacuationes, speciatim sanguinis detractionem, prohibet *HUXHAMVS ††)*, dum debilis laxaque constitutio obtineat. IDEM pulcherrime de vtilitate & noxa venaeſectionis in Variolis locutus est, in peculiari, quam de variolis conscripsit, dissertatione, quae dicta a nobis confirmat. *Celeb. DEGENERVS* de venaeſectionis vtilitate in dysenteria ira loquitur: venaeſectioni in nostro morbo nullus locus erat, nec eam in vlllo, siue praeseruationis, siue curationis gratia, administrandam curavi; bilem enim non corrigit, sed potius vires vitae frangit, & naturam in motibus suis salutaribus conturbat: unde vomitus cruentus & mors venaeſectionem cito sequebantur †††). Minus bene etiam tunc de venaeſectione in dysenteria iudicat, quando febris acuta inflammatoria aegros inuadit, subiectum plethori-

C

cum





eum est atque virium adhuc integrum robur adesse deprehenditur. Sed quae in hoc casu adfert argumenta, nullius sunt ponderis atque iis ipsis momentis refelluntur, quibus venae sectionis utilitatem in febre cholericâ docuit *Celeb. TRALLES* \*).

\*) *Conf. Medic. system. rat. Tom. IV. Part. I. Sect. I. C. VI. p. 133. §. XI.*

\*\*\*) *Anleitung für das Landvolck in Absicht auf seine Gesundheit §. 117. p. 146. Wenn der Schnuppen, inquit, heftig ist, so muss man auf dem Arm eine Ader öffnen lassen, welches ihn nicht wenig abkürzt, und allemahl bey vollblütigen Personen dienlich ist, wenn solche Husten und heftige Kopfschmerzen empfinden. Conf. hic pluribus Illustr. BÜCHNERI Dissert. de Venae sectione, in febr. catarrhal. non semper nociva.*

\*\*\*\*) *l. c. Cap. IX. pag. 214. §. VI.*

†) *Prior in Tractatu de Miliarium origine, progressu, natura & curatione, Aug. Turin. 1758. Cap. XVIII. p. 118. §. 221. seqq. Posterior in disquisitione de miliarium exanthematum indole & tractatione. Vien. 1764. Addatur Matthaei COLLIN Dissert. med. de miliaribus rectaeque his medendi ratione. Vien. 1763.*

††) *l. c. Cap. VIII. p. 82. 83.*

†††) *Histor. med. de dysenteria bilioso-contagiosa quae 1736. Neomagi & in vicinis ei pagis grassata est. Trai. ad Rhen. 1764. p. 266. 267.*

\*) *Conf. eius Historia Cholerae atrocissimae, quam ipse sustinuit. Vraisl. 1753. p. 254. seqq. De usu VSectionis in aliis nonnullis morbis & in febribus biliosis, conf. Celeb. RISSOT in Dissert. de febr. bilios. seu historia epidem. biliosae lausann. Lausann. 1758. p. 121. seqq. ab aliis forsitan vituperio non adfectus, si & mentem egregii Viri & usum Opiatorum, quem probant, ibi non probandum, perpendissent. Conf. Clariss. HASENÖHRL Histor. medica trium morborum, Vienn. 1761. pag. 22. seqq.*

### §. VIII.

#### II. Cum diat. bes. sanguinis phlogistica & affectione sensorii communis.

Diatheſis sanguinis phlogistica non semper a statu inflammatorio pendet, prouti id scripta *Illustris de HAEN* evincunt. Quando autem ea ipsa diatheſis causa sit febrium acutarum (§. VII.): febris inde oriunda inflammatoria est. Huic venaeſectio multis ex causis competit. Reuellit enim, deriuat, repellit aestumque temperat venaeſectio (§. V.). Quod autem singularem istam, quam dixi, sensorii communis affectionem (§. VII.) attinet: ei tollendae venae-



venaeſectio plane eſt impar. Niſi ergo plethora, orgaſmus, congeſtio enormis ſanguinea effectum, quem ipſi tribuimus, augeat & faciliſet: inutilis & nociua erit venaeſectio. Plura de his dicere non opus eſt, cum *Illuſtris* BÜCHNERVS in peculiari diſſertatione \*) hac de re diſſeruerit.

\*) de rite diiudic. haemorrh. in febr. interm. ſalubr. Adde LAVTER Hiſtor. morb. bienn.

## §. IX.

*Comparatio Venaeſectionis cum febre acuta ipſa.*

Ad cauſſas februm acutarum tam copiam, quam motum materiae febrilis referendum eſſe, §. VII. diximus. Sequeretur ergo, vt, poſt haecenus allata, VSectionem cum his februm acutarum cauſſis comparemus. Quoniam autem ea, quae hac de materia diſſeri poſſunt, ad illa fere redeunt, quae in comparanda VSectione cum febre acuta ipſa dici poſſunt: tribus tantum de febribus continentibus loquar. Iſtae namque febres ex plethora commota originem ſuam ſumunt, quapropter tam copia, quam motus materiae febrilis accuſari debet. Nunc VSectionem tam plethorae, quam orgaſmo medetur (§. III.). Quantum ergo VSectionem in curandis febribus continentibus valeat, quilibet perſpicit. Tranſeo nunc ad comparationem VSectionis cum febre acuta ipſa. Quatuor februm acutarum ſpecies ſtabilimus (§. VII.). Quae cum a ſe inuicem magnopere recedant atque vere exiſtant, toties id confirmantibus Obſeruatorum monumentis: facile patet, non vnum eundemque eſſe Vſonis ad febrem acutam reſpectum. Quodſi nempe *primo* febris nimium fuerit leuis (§. VII.): vt vſus Vſonis conſtet, cauſſa huius rei attendi debet. Generatim nimia febris leuitas a debilitate pendet, haec vero pro cauſſarum, quae ipſam determinant, ratione ſatis eſt diuerſa. *Modo* nempe plethora vires opprimit, vti §. VII. adnotatum eſt, *modo* coaceruatio ſanguinis in pulmonibus eam cordis debilitatem efficit, vt in peripneumoniacis accidere ſolet, *modo* demum fluidum nerueum & hymphæ corrumpi videntur, vt in malignis quibuſdam & neruoſis. Si plethora cordis vires opprimat: vſus VSectionis ſumme eſt neceſſarius. Atque hinc iuniores monci HUXHAMVS \*);





vt caueant, ne pulsu, hac ratione oppresso, decipiantur. Si porro pulmones sanguinis mole obruantur: non poterit non utilis esse venaesectio. Licet enim, vt in superioribus monuimus, natam enormem hanc stasin soluere non valeat venaesectio: nouam nihilominus praecauer, atque sic mediate, cum aliis adpropriatis remediis, prioris discussioni inferuire valet. Quam ob rem etiam Practici vnanimi consensu in his casibus VSectionem commendarunt. Quando autem leuitas febris a corrupto fluido nerueo proueniat: Vsectio & inutilis est, & nociua. Inutilis est, nam corruptionem fluidi neruei neque tollit, neque minuit (§. VIII.); nociua est, quod vires aegri magis prostermit, quae tunc omni modo conseruandae sunt. Febres neruofae & putridae, sed quae vere putridae sunt, hic exemplo esse possunt, in quibus a plurimis Medicorum damnosa iudicatur venaesectio. Atque haec de nimia febris leuitate. Quodsi *secundo* febris nimium vehemens fuerit: venaesectio instituenda erit. Quacunquē enim ex causa vehementia ista oriatur, vrgentem semper organum efficit, qui salutari febrium acutarum solutioni multum aduersatur. Confirmat id *Cel. STÖRCK*, parcus Vsonis laudator \*\*). *Pulsus aegri dum naturalis*, inquit, *longe celerior, fortior, durum, vel & suppressum deprehendi, venam curavi tundi, idque pro ratione circumstantiarum repetitis vicibus.* Atque alio loco \*\*\*): *valde plethoricis, inflammatione adfectis, & pulsus durum habentibus pro ratione necessitatis sanguinem vena misi.* Sufficiat vnicum testimonium cum plura facile inueniri possint. Quodsi porro *tertio* febris abnormes producit motus (§. VII.): erit febris vel nimis magna, vel nimium leuis. Attenta obseruatio id docet, cum nunquam abnormis motuum ratio in febribus acutis incidat, nisi febres aut nimia vehementia, aut nimia leuitate conspicua sint. In hoc ergo casu quid de VSectionis vsu dicendum? ex superioribus patet. Saepe conducit Vsectio, vt de febribus intermittentibus acutis notarunt *Celeb. WERLHOF* †) atque *Clar. LAVTER.* Saepe nocet, vt in variolis, quae ob exhaustas aegri vires intus delitescunt, quo in casu opitata, camphora, vesicatoria potius vrilia sunt. Quodsi demum *quarta* febris moderata fuerit: ab omni sanguinis missione quam maxime erit



erit abſtinendam. Alias enim vires corporis & febris ſine vtilitate inde ſperanda imminuuntur atque natura, ſano ſenſu accepta, concoquendae & eliminendae materiei impar ſit. Nil fere agendo tunc omnia agimus. Egregie hoc, vt alii, ita etiam *Celeb. STÖERCK* adnotat ††). *Multis*, inquit, *venam plane non ſecui, nam frequenti obſervatione didici, quod venaeſectio etiam vnica facta in homine, cuius pulſus nec ſuppreſſus, nec naturali multo plenior fortiorue fuit, vires deiecerit, quod ſuperuenientibus exanthematibus medicamentis ſtimulantia, quibus alias opus non fuiſſet, debuerint adhiberi, quodque aeger, ſuperato morbo, ad vires recuperandas multo longiore tempore indiguerit. Atque poſtea: Si cauſae, venaeſectionem ſuadentes, non fuerunt ſatis graues, tunc eam neglexi — Imo iis, qui plethora non admodum magna laborarunt, conduxit magis per decoctum tamarindorum, Cremorem tartari atque alia antiſeptica remedia aluum aliquoties mouere, & ita pulſus vim & velocitatem mitigare, quam venaeſectio ſanguinem detrabere †††). Quae fere ſequuntur verba idem iudicium continent.*

\*) l. c. p. 19.

\*\*) *Ann. medic.* I. p. 3.

\*\*\*) l. m. c. p. 15.

†) in *Tr. de febr.*

††) l. m. c. p. 3.

†††) l. m. c. p. 15.

## §. X.

*Comparatio Venaeſectionis cum remediis quibusdam quae in febris acutis commendantur.*

Venaeſectionis in febris acutis vſui multum lucis accenditur, quando cum remediis comparatur, quae a Medicis in iisdem commendantur. Ex iis, quae §. antec. diſputaui, generatim cognoscitur, in curandis febris acutis id agendum eſſe, vt vires modo erigantur, quando febris vere languet, modo ſopiantur temperantibus\*), ſi febris excedat, modo nulla ratione turbentur, quando ſcilicet febris omni parte moderata exiſtit. Sicuti iam in primo & tertio caſu Vſectio abeſſe debet, quae tamen in caſu ſecundo ſumma cum corporis vtilitate adminiſtratur: ita etiam antiſeptica remedia potentiora poſſimum, in primo & tertio caſu minime adhiberi, in ſecundo autem vſurpari debent. Atque his etiam opus eſt, quando poſt ſanguinis euacuationem a viribus depreſſis indicatam (§. IX.) pulſus intenſitas & velocitas validiſſimam indigitat febrim. Opiata veſicatoria, vinoſa, diaeta calida, aër calidus & alia ſimilia a febris acutis earumque medela ſi venaeſectio congrue indicetur & peracta ſit, abſint;

adhi-



adhibeantur vero passim, quando vires vere languent, aut alia ea necessitas vrget (§. IV.). Remedia porro diluentia & soluentia antiphlogistica febres inflammatoriae & continentes postulant. Sed constitit iam §. IV. quantum istorum remediorum actio augeatur VSectione, quae in his quoque febribus indicatur (§§. VII. & IX.). Vidimus etiam §. IV. balnearum effectum intendi VSectionis ope, atque is eo magis hoc remedio adaugetur, quando plethora aut congestio cutim stringit, aut validus organus cutis siccitatem producit. Balnea vero in febribus acutis valentioribus a BOERHAAVIO, *Illustri de HAEN*, HUXHAMO maximopere commendantur. Demum de emeticis quidquam dicendum restat. Multum de eorum in febribus acutis usu inter Medicos disceptatum est. Composituit lites *Illustr. de HAEN*. Docet enim \*\*), insignem nonnumquam in febribus quibusdam acutis debilitatem a primarum viarum cruditatibus oriri, quae non nisi emetico cito dato tolli queat; vomitorio itaque tunc omnino vitandum esse; se tamen nondum eo vti opus habuisse licet multos ex febribus acutis decumbentes curauerit. *Celeb. STOERCK* fere similia habet \*\*\*), atque emeticis haud raro usus est. Facile patet, venaesectionem, si aliunde indicetur, nocuos emetici effectus praepedire (§. IV.). Quando autem V Sectio aliunde non indicatur: neque ea ante dandum vomitorium opus erit. Ita HUXHAMVS in febribus nervosis saepe laudat emetica leniora, venaesectionem minime \*\*\*\*).

\*) Nonnulli opiata hic laudant, & *Celeb. TRALLES* in Tract. de Opii usu salubri & nox. & aliis scriptis, quae de variolis edidit, pulcre errorem detexit. *Clar. rissot* hac etiam in re bene meritus est. Conf. Epist. cit.

\*\*\*) Conf. *EIVS Rat. medend. in Nosoc. Vienn.* Part. III. Cap. I.

\*\*\*\*) *Ann. med.* variis locis.

\*\*\*\*\*) l. c. Cap. VII. p. 83.

### §. XI.

#### *Vsus Venaesectionis in febribus acutis compositis & complicatis.*

Vsum VSectionis in febribus acutis simplicibus generatim nunc perpendimus; opus iam esset, ut quamlibet earum speciem inque ea vilitatem aut noxam VS. speciatim considerarem. Quum vero lites doctissimorum Virorum, quae passim hac in re ortae sunt, neque meas facere velim, neque adeo difficulter componantur, si pertractata accuratius considerentur, atque praeterea laudati §. I. Viri omnia fere, quae praesari possunt, praestiterint: nil iam superesse credo, nisi ut compositiones & complicationes febrium acutarum paullo fusius ad VSectionem referam. Si primo febris continens inflammatoriae aut haec vicissim continenti accedat: erit venaesectio, cum in vtraque febrium acutarum specie locum habeat, summe necessaria. Si secundo febris biliöfae inflammatoria aut continens

acce-



accedat, aut illa ex grauitate febris inflammatoriae: venaeſectio iterum erit ſalubris (§. VII.). Quando *tertio* febrī exanthematicae, putridae grauior inflammatoria, continens, aut hae febrīum acutarum ſpecies prioribus addantur: non minus erit venaeſectio vtilis. Si *quarto* febris catarrhalis cum alia febrīum acutarum ſpecie compositam febrim ſiſtat: pro ratione ſimpliciorum febrīum modo damnosa, modo vtilis dicenda eſt venaeſectio. Quando *quinto* febris lenta & heſtica cum febre quadam acuta coniungitur: ex huius natura aut vtilitas, aut detrimentum venaeſectionis perſpici debet. Quando demum *ſexto* febres intermittentes febrī cuidam acutae, aut haec iis in aegro quodam adiungantur: in modo dicto caſu venaeſectionis vſus ex natura febris acutae atque aegri conditionibus determinandus erit. Conſtat ex his, quam facile regulae generales hic ſtabiliantur. Non ideo tamen adfirmo ſacilem nunc eſſe ſpecialis medendi methodi in febris his complicatis inuentionem. Individuales enim aegrorum conditiones ſummam in morborum medela pariunt difficultatem, atque generalia iſta quo facilius cognoscuntur eo minoris vſus ſunt in morborum praecipue difficiliorem curatione. Omitteri tamen non debent, cum pedem quaſi Medici figant atque facilioris morborum curationis initia ſint. Caeterum complicationes quaſdam febrīum acutarum aliarumque cum miliaribus conſiderauit *Celeber. ALLI-  
NIVS*, quem, vt norma hac in re habeatur, legendum commendo.

## §. XII.

*Praeiuſidia contra vſum venaeſectionis in febris acutis.*

Debilitas iſta corporis, quae venaeſectionem haud legitime adminiſtratam inſequi ſolet, peperit praeciudicium, quod Medicos etiam impedit, quo minus haud raro quamlibet Vſectionem in febrīum acutarum medela tunc quoque admittant, quando vere indicatur. Quum enim videant febres acutas cum inſigni corporis debilitate plerumque ſtipatas eſſe: damnant Vſonem de qua debilitatem iam praesentem magis adhuc augeri arguunt. Quum praeciudicia vera falſae eſſe poſſint: in huius aut veritatem aut falſitatem inquirendum erit. Datur omnino debilitas corporis in febris acutis, quae ab inſtituta Vſectione adaugetur. Vidimus id §§. VII. IX. Datur alia, quae a cauſa proficiſcitur, in quam ſanguinis detractio ne agit quidem, ea nempe, quae a eruditatibus primarum viarum viſcidis aut putridis oritur, emetico tantum tollenda (§. X.). In his debilitatis caſibus Vſectionem admittere abſonum foret. Hoc vero conceſſo, detur etiam nobis, dari in febris acutis debilitatem, quam venaeſectio quam optime tollit aut minuit, prouti quae a plethora aut alia ſuperius conſiderata cauſa pendet. In hoc caſu Vſectio adminiſtrata optimū eſt



est cardiacum. *Quod obsecro*, inquit *Clar. HASENOEHL \**, *melius cardiacum in hisce febris* (loquitur vero de inflammatoriis), *ad vires dilabentes fulciendas, excogitari potest, quam VSectione, eaque repetita, praesertim dum in his morbis a plenitudine densitateque cruoris quasi suffocatae iacent?* Darur aliud praeiudicium contra usum VSectionis in febris acutis, dum scilicet putant, VSectionem in his febris interdicti, quando ad octiduum aut aliquot septimanas celebrata est, non cogitantes, aliam in sano alias, aliam in aegro esse VSectionis necessitatem. Dein eiusmodi praeiudicium supponit, vnicam VSectionem in acutis sufficere, quando indicatur. Quis vero est, quin sciat, quam saepius accidat, vt VSectione in febris acutis plus vice simplici repeti debeat? Difficile sane est, satyram non scribere! Demum famosum illud praeiudicium: *post hoc ergo propter hoc* mirum quantum salutarem venaesectionis usum impedit. Vident v. g. inflammationes post usum venaesectionis statim tempore exacerbari, concludunt inde venaesectionem id effecisse, non perpendentes, februm inflammatoriarum esse eam rationem, vt paroxysmos formant atque a rebus internis & externis praeter venaesectionem multum mutari possint. Iure eiusmodi homines derisit *Clar. ZIMMERMANNVS* in egregio, quem *de experientia in arte medica* germanice conscripsit tractatu. Mitto iam diu explosum illud praeiudicium, quod, ob metuendum exanthematum regressum, venaesectionem damnat \*\*).

\*) l. c. p. 24. seqq.

\*\*) Vid. *TRALLES de remed. terreis* p. 355. §. 10.

## §. XIII.

*Regulae quaedam.*

Praeter regulas, quae ex §. X. deduci debent, sequentes adhuc circa usum venaesectionis in febris acutis notandae sunt:

I. *Quando solum pletborae ratio habetur: loca adeo sollicito eligere non opus est; quodsi autem deriuatio & reuulsio intenditur: loca pertundenda curatius eligi debent.* Pulcre hac de re differuit *Celeb. KRAVSE \**.

II. *Necessitas repetendae venaesectionis non tantum ex statu aegri, sed etiam ex epidemiae, forsitan praesentis, natura & genio, diiudicari debet.* Dantur epidemiae, docente *SYDENHAMO*, quae Venaesectionem non facile ferunt \*\*).

III. *Pulsus, dolor, febris, respiratio potiora sint copiae sanguinis, sub qua libet VSectione emittendae, indicia.* Reliqua omnia incerta sunt. Demum

IV. *Cauendum est, ne aeger facile somnum post institutam venaesectionem capiat, quod pulcre docuit Celeb. TISSOTVS \*\*\*).*

\*) In *Dissert. cit.*\*\*) Conf. etiam *Celeb. TISSOTI Diss. de febr. bilios.*l. c. & *Clar. HASENOEHL l. c.*\*\*\*) In *Epist. cit.*











NO 18  
PICA









6

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VSV VENAESECTIONS  
IN FEBRIBVS ACVTIS.

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
IVSSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACULTATIS  
IN REGIA F  
PRO GRADV  
SVMMISQVE IN MEDICINA  
DOCTORALIBVS LEG

D. XII. APRIL  
ERVDITORVM CE  
AVC  
SIMON HENRICV  
ALTO



HALAE MAG  
APVD IOANNIS CHRISTIA

